

Martirio XXIX. Día 16 de Setiembre de 1628.

190. El B. Miguel Timonoia.  
 191. El B. Pablo Timonoia.  
 192. El B. Domingo Xobioie, japoneses los tres, y hermanos terceros de Santo Domingo.

Martirio XXX. Día 25 de Diciembre de 1628.

193. El B. Miguel Nacaxima, jesuita, japonés.

Martirio XXXI. Día 28 de Setiembre de 1636.

194. El B. Juan Cocumbuco.  
 195. El B. Mancio.  
 196. El B. Miguel Kinoxi.  
 197. El B. Lorenzo Xixo.  
 198. El B. Pedro Cufioie.  
 199. El B. Tomás. Los seis del Japon, y hermanos terceros de San Agustín.

Martirio XXXII. Día 3 de Setiembre de 1632.

200. El B. Bartolomé Gutierrez, sacerdote agustino, mexicano.  
 201. El B. Vicente Carvalho, sacerdote agustino, portugués.  
 202. El B. Francisco de Jesus, sacerdote agustino, español.  
 203. El B. Antonio Ixida, sacerdote jesuita, japonés.  
 204. El B. Gerónimo de Torres, sacerdote secular y tercero de San Francisco, japonés.  
 205. El B. Gabriel de la Magdalena, hermano lego franciscano, español.

## DECRETOS DE LOS SOBERANOS PONTIFICES.

### I.—Decreto del Papa Inocencio XI sobre la causa del martirio.

Proposito per Emi. et Reverendiss. D. Card. Azzolinum Ponentem in S. R. Congregatione ordinaria, seu particulari ex dispensatione apostolica, Dubio: *An constet de martyrio ex parte tyranni in casu et ad effectum de quo agitur*, in causa prædictorum Servorum Dei; eadem S. Congregatio, auditis votis Dominorum Consultorum in duabus præteritis Congregationibus habitis die 27 Januarii 1685, et 30 Augusti 1686; audito pariter R. P. Fidei Promotore in voce et in scriptis, discussoque prædicto Dubio, censuit *Constare de martyrio ex parte tyranni*; si SS. Domino nostro placuerit. Die 25 Januarii 1687.

A Card. CYBO.

BERNARDINUS CASALIUS S. R. C. Secretarius.

II.—*Decreto de N. S. P. el Papa Pio IX sobre el martirio material y formal, y sobre los signos.*

Praeter illos sex et viginti Martyres Japonenses, quos sanctissimus Dominus noster Pius Papa IX, ad honorem Sanctæ et individuae Trinitatis et Ecclesiæ fideique catholicæ bonum Sanctorum albo accensuit, alii permulti extant christiani nominis heroes in eodem Japoniæ imperio ob ejusdem fidei catholicæ confessionem necati ab anno millesimo sexcentesimo decimo septimo usque ad annum millesimum sexcentimum trigessimum secundum. Horum catalogus ex tabulis processualibus depromptus quinque supra biscentum exhibet numerum. Præeunt inter eos apostolici viri fidei atque religionis magistri cum suis in catechesi tradenda ministris; dynastes nobiles regio sanguine clari; matronæ opibus florentes, tenerae virgines; senes longaevi; adolescentes ingenui; pueri et puellae trium quatuorve annorum. Ex iis multi palo alligati per plures horas lento cremati sunt igne; aliqui capite muletati; alii federe laniati et membratim caesi; non pauci in vulcanica depressi voragine, aquis sulphureis et ebullientibus diavexati et consumpti; plurimi frigidissima rigente hyeme in lacunæ gelu demersi mortem obierunt temporis diuturnitate acerbissimam; nonnulli in crucem acti capite inverso; pauci fame et ærumnis confecti teterrimo in ergastulo animam exhalarunt. Fortes ideo facti sunt in certamini, transierunt per ignem et aquam; secti sunt; in carceribus abundantius emarcuerunt; Christo confixi sunt cruci, ut viveret in eis Christus; in ore gladii mortui sunt; sed laus Domini non recedebat ab ore eorum. In hac immani et ex Principis edicto late per Japoniam grassante persecutione tot ac tanta præbuerunt strenui fidei propugnatores invitæ fortitudinis argumenta, ut

præclarissima exempla, quæ in priscis Ecclesiæ persecutionibus floruerunt, prorsus renovaverint. Eminent veluti candidati hujus exercitus duces Alphonsus Navarette, Angelus Orsucci, Franciscus Morales, Petrus de Avila, Ricardus a Sancta Anna, Ludovicus Sotelo, Apollinaris Franco, Petrus de Zuniga, Bartholomæus Guttierrez, Vincentius Carvalho, Carolus Spinula, Franciscus Pacheco, Camillus Costanzo, Hieronymus de Angelis ex illustribus Ordinibus Prædicatorum S. Dominici, Minorum S. Francisci, Eremitarum S. Augustini, et ex inclyta Societate Jesu cum aliis plurimis eorundem sodalibus; Joachimus Firayama seu Diaz; Thomas Xiquiro, Andres Tocuan, Simon Quiota et Magdalena ejus uxor, Gaspard Cotenda cum Apollonia ejus matertera, Magdalena Kyota, qui erant e progenie Regum Bungensium, Arimensium, et Firandensium; Antonius Coray, Maria ejus uxor; Joannes adolescens annorum duodecim et Petrus trium annorum puer, eorum filii; Lucia Fleites octogenaria et Dominicus Giorgi, cum uxore Elizabetha Fernandez, quæ filium suum Ignatium puerulum quadrimum secum ad martyrium a lictoribus perductum excitavit, ut benedictionem a Carolo Spinula peteret, antequam simul obirent: mox cum hic puerulus excisum carissimæ matris caput et ante se provolutum immotus et siccis oculis conspexisset, probe intelligens se tunc interfectum iri, nudavit collum et cerviculam crudeli ferro præcidendam lictori obtulit. Hos demum ceteri sequuntur cives japonenses in martyrio socii usque ad numerum superius adnotatum.

Statim post martyrium triumphum conditi fuerunt informativi processus, quibus in Sacrorum Rituum Congregatione discussio, ad preces Hispaniæ Regis, illustris familiæ Spinulæ, et Ordinum religiosorum Summus Pontifex Urbanus VIII, sa. me. sua signavit manu hujus causæ commissionem; et duodecimo kalendas De-

cembris anni MDCXXXVII Litteræ remissoriales expeditæ fuere ad instituendas apostolica auctoritate inquisitiones. Confectis itaque tum Maniliæ in insulis Philippinis, tum semel atque iterum Macai in Sinis processualibus tabulis, iisque ad Urbem transmissis, earumque de more probata validitate, Summi Pontificis Innocentii XI, sa. me. indultu decimotertio kalendas Aprilis anni MDCLXXVII, habita est peculiaris Sacrorum Rituum Congregatio, ubi suffragatores juxta R. P. Promotoris sanctæ fidei consilium statuerunt, ut prius proponeretur Dubium quoad primam partem, scilicet: *An constaret de martyrio, ex parte tyranni in casu.* Quod quidem factum est in alio peculiari ejusdem Sacrorum Rituum Congregationis Conventu octavo kal. Februarias MDCLXXXVII collecto: Decretumque prodiit, adprobante eodem Summo Pontifice: *Constare de martyrio ex parte tyranni in casu, de quo agitur.* Inde agitandum erat Dubium in aliis comitiis quoad alteram partem, nempe: *An constaret de martyrio ex parte passorum?*

Attamen incomprehensibili divinæ Providentiæ consilio causa hæc celeberrima, uti eam vocat Summus Pontifex Benedictus XIV sanctæ memoriæ ob varias rerum circumstantias usque ad hæc tempora siluit. Verum cum ob sex et viginti Martyrum canonizationem maxima gratiarum copia a Dei bonitate super Japoniam effluerit, quemadmodum in suis exponunt postulantiis epistolis Vicarii apostolici, qui regno huic et finitimis præsent regionibus; et spem concipiunt firmissimam uberiores divini auxilii fructus sequuturos fore, si militis Christi reliqui in gloriosam, cœlitum aciem recensantur: cumque ob casus adversos et sibi invicem succedentes calamitates, quibus angimur, præsidium: peominò multiplicato supernorum civium interventu Dræstolari oporteat, ne inimici nostri unquam domi-

nantur nobis; Sanctissimus Dominus noster Pius Papa IX singulorum Ordinum Postulorum preces benigne excipiens causam resumit concessit; et eadem servata judiciaria forma, selegit particularem Sacrorum Rituum Congregationem, quæ, accedente voto pro veritate R. P. Promotoris sanctæ Fidei, causam ipsam ad exitum perduceret. Particularis hujusmodi congregatio penes reverendissimum Cardinalem Constantinum Patrizi Episcopum Portuensem et S. Rufinæ, eidem Congregationi Præfectum, causæque Relatorem, semel atque iterum collecta est: et propositis Dubiis, scilicet primo: *An stante approbatione Martyrii ex parte tyranni, ita constet de Martyrio ex parte passorum ut procedi possit ad ulteriora?* secundo: *An et de quibus miraculis seu signis constet in casu?* Tum Patres Cardinales, tum Præsules officiales suas aperuerunt sententias.

Verumtamen Sanctissimus Dominus noster post fidelem subscripti Sacrorum Rituum Congregationis Secretarii de omnibus relationem, noluit illico Patrum Cardinalium et Præsulum officialium sententias supremo suo confirmare iudicio; sed severe perpendens negotium istud maximi ponderis esse ac momenti, invocavit Spiritum sapientiæ et intellectus, ut sibi ad recte iudicandum propitius adesset.

Tandem hanc designavit diem, nempe feriam III post dominicam Sexagesimæ, in qua solemnis recolitur commemoratio Passionis Domini nostri Jesu Christi, cujus calicem Martyres japonenses bibere meruerunt. Postquam igitur Sanctissimus Dominus noster incruentum obtulisset sacrificium in privato sacello apud pontificales aedes Vaticanas, ad Collegium romanum Societatis Jesu Sancti Ignatii templo annexum se contulit, ubi in superiori Aula maxima solio insidens ad se accivit Reverendissimum Cardinalem Constantinum Patrizi Episcopum Portuensem et Sanctæ Rufinæ, Sacrorum Ri-

tuum Congregationi Præfectum, causæque Relatorem, una cum R. P. Petro Minetti sanctæ Fidei Promotore et me infrascripto Secretario, iisque adstantibus, quoad primum Dubium edixit: *Ita constare de martyrio ex parte passorum, ut in casu, de quo igitur, procedi possit ad Beatificationem;* et quoad alterum Dubium: *Constare de signis IV, XII, XIII, XIV.*

Decretum hoc in vulgus edi, et in acta Sacrorum Rituum Congregationis referri mandavit, quarto kalendas Martii anno MDCCCLXVII.

C. Episcopus Portuen. et S. Rufinæ Card. Patrizi,  
S. R. C. Præfectus.

D. Bartolini S. R. C. Secretarius.

III.—*Decreto de N. S. P. el Papa Pio IX, que declara, que con seguridad puede procederse á la Beatificación.*

In mirabili Apocalypsis visione Joannes Evangelista vidit *subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei*, vocemque audivit illis dicentem: *Ut requiescerent donec complerentur conservi eorum et fratres, qui interficiendi essent sicut et illi.* Magna in hac cœlitum fratrum, conservorumque turba, quam dinumerare nemo potest, sæculo decimo septimo ineunte, recens profecto fuere quinque et ducenti Martyres, qui magnam perpassi tribulationem *laverunt stolas suas in sanguine Agni;* iisque albis amicti stolis, palmasque in manibus gestantes ex Japoniæ oris venerunt, et ante thronum Dei et in conspectu Agni constituti serviunt

ei die ac nocte. Quod Joannes in visione futurum præviderat, nunc nobis factum supremo Sedis Apostolicæ magisterio innotuit. Cum enim præclarissimum japonensium Martyrum certamen penes Sacrorum Rituum Congregationem pluries ad trutinam vocatum fuisset, Summi Pontificis Ven. Innocentii XI. sa. me. Decreto sancitum est: *Constare de eorum martyrio ex parte tyranii.* Neque id satis erat quoniam duo æque graviora enucleanda remanebant Dubia, scilicet: *An constaret de martyrio ex parte passorum;* itemque *An et de quibus miraculis seu signis constaret in casu;* ut egregios Japonenses pugiles inter Martyres Dei conservos jam super astra locatos suspiceremus, eorumque lipsana sub altari reponerentur. Hoc, quod diu illustres Ordines Prædicatorum, Franciscalium, Eremitarum Augustinianorum, nec non præclaræ Societatis Jesu sodales, simulque Japoniæ ac finitimarum regionum Vicarii apostolici summis exoptaverant votis, Sanctissimus Dominus noster Pius Papa IX complevit. Causam enim super hisce dubiis bis agitari voluit in peculiaribus Sacrorum Rituum Congregationis conventibus, ut ea judiciaria servaretur forma, quæ ab initio obtinuit. Sacri Ordinis hujus sententiam Sanctitas Sua ratam habens rite decrevit quarto kalendas martias vertentis anni quoad primum Dubium: *Ita constare de martyrio ex parte passorum, ut in casu, de quo agitur, procedi possit ad Beatificationem;* et quoad alterum Dubium: *Constare de signis IV, XII, XIII, XIV.*

Postquam Petrus per Pium Pontificem Maximum loquutus est, causa finita est. Attamen eadem Sanctitas Sua jussit ut juxta Summorum Pontificum Constitutiones, sacrorumque canonum sanctiones ad actorum seriem perficiendam in generalibus comitiis colligendis postremum discuteretur Dubium: *An stante Decreto ab Innocentio XI sa. me. III nonas Februariarum anni*

MDCLXXXVII confirmato, alioque Decreto novissime a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa IX quarto kalendas martias currentis anni edito, tuto procedi possit ad solemnem horum Venerabilium servorum Dei Beatificationem. Hoc factum quidem est in comitiis idibus Aprilis anni hujus apud pontificias Vaticanas aedes coram Sanctissimo Domino Nostro habitis, in quibus Reverendissimus Cardinalis Constantinus Patrizi Episcopus Portuensis et S. Rufinae, Sacrorum Rituum Congregationi Praefectus, atque causae Relator illud proposuit Dubium, et omnes Reverendissimi Patres Cardinales et Consultores in affirmativam ivere sententiam. At Pater Beatissimus illud effatum a Joanne Evangelista in Apocalypsis visione perceptum secum in animo considerans, *tempus adhuc modicum* expectandum censuit, ut fuis interim precibus ab Altissimo super Cherubim sedente lumen impetraret et auxilium.

Annua denique revertente solemni commemoratione sanctae Virginis Catharinae senensis, almae Urbis Patronae minus principalis atque in adversa hac temporum calamitate sospitricis, cujus vestigia plures invictae ex Martyribus Japonensibus foeminae in virtutis semita calcarunt, cum Sanctitas Sua Hostiam salutarem in privato suo Vaticano sacello obtulisset, ad coenobium contendit Eremitarum S. Augustini, cujus Institutum non pauci ex iisdem Martyribus amplexi fuerant; et in Bibliothecam nomine *Angelicam* ascendens, ibi ad se accitis Eminentissimo ac Reverendissimo Cardinale Constantino Patrizi Episcopo Portuensi et Sanctae Rufinae, Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, causaeque Relatore, una cum R. P. Petro Minetti sanctae Fidei Promotore, et me infrascripto Secretario, eisdemque adstantibus solemniter declaravit: *Tuto procedi posse ad solemnem venerabilium horum servorum Dei Beatificationem.*

Hujusmodi Decretum publici juris fieri, in acta Sacrorum Rituum Congregationis referri, Litterasque apostolicas in forma Brevis de Beatificationis solemnibus in Patriarchali Basilica Vaticana quodcumque celebrandis expediri mandavit, pridie Kalendas maias anni MDCCLXVII.

C. Episcopus Portuen. et S. Rufinae Card. PATRIZI,  
S. R. C. Praefectus.

D. BARTOLINI S. R. C. Secretarius.

#### IV.—BREVE DE LA BEATIFICACION

*Pius PP. IX, Ad perpetuam rei memoriam.*

Martyrum rigata sanguine vel ab ipsis suis primordiis Ecclesia exhibere postea nunquam destitit miranda exempla fortitudinis; quippe dum ad labefactandam Christi militum firmitatem nova excogitent tyranni suppliciorum genera, auxerunt ad sempiternum Ecclesiae decus fortissimorum heroum coronas et palmas. Id porro non sine providentissimo Dei concilio factum est; nimirum ut manifeste constaret durissimo certamini e caelis adfuisse auctorem fidei nostrae Christum Jesum, qui, ut scripsit S. Cyprianus “praelatores, et assertores sui nominis in acie confirmavit, erexit; qui pugnavit et vicit in servis suis.”

Jamvero ab anno millesimo sexcentissimo decimo septimo usque ad annum millesimum sexcentisimum trigessimum secundum ferax Martyrum Japonia fuit, exci-

tato dirissimæ insectationis turbine adversus Christi religionem, quæ feliciter illuc fuerat per Evangelii præcones invecta. Etenim posteaquam Taicosama Japoniæ Imperator inaudito quodam furore exarsit ad extinguendum ibi penitus christianum nomen, atque anno millesimo quingentesimo nonagesimo septimo viginti sex strenuos veræ fidei defensores crucis supplicio interemisset ejus in imperio successores tantam immanitatem, furemque nedum æmulati sunt, sed longe etiam superarunt. Edita quippe lex fuit ne quis Christianos, ac præsertim Sacerdotes juvaret, exciperet; secus exilio, proscriptione bonorum, atque ipsa pœna capitis mularetur; cruces, aræ, templa, et quælibet religionis sanctissimæ monumenta præconis voce disjecta passim, ac deleta; ad tentandam vero Christianorum in fide constantiam exquisitissima quæque tormenta adhibita, quæ meminisse animus, necdum enarrare reformidat. Aliis enim in crucem actis transverberatum ferro latus fuit, alii inverse capite cruci adfixi, plures fœdissime dilaniati, ac membratim cæsi, plerique lento igne combusti, non pauci sulphureis, vel gelidis demersi aquis mortem obierunt pœnarum diurnitate acerbissimam, alii denique fame, siti, verberibus, et squalore carceris afflicti, eneeti mortalem hanc vitam cum immortalis ac beata commutarunt.

Tantam vero suppliciorum atrocitatem animo sic erecto atque alacri perpessi sunt, ut priscorum Ecclesiæ martyrum robur, ac firmitatem plane retulerint. "Steterunt scilicet, ut S. Cypriani verbis utamur, torquentibus fortiores, et sævissima diu plaga repetita inexpugnabilem fidem expugnare non potuit." Neque sacerdotes dumtaxat, et evangelicæ doctrinæ præcones animosi, ac firmi in agone manserunt, sed utriusque sexus, et cujusque conditionis, ætatis homines, scilicet dynastæ spectatissime, et regio prognati sanguine viri,

matronæ nobiles, teneræ virgines, confecti ætate senes, adolescentes, et pueri ac puellæ quatuor etiam annorum, sic ut tam inaudita virtus, animique constantia referri prorsus accepta debeat gratiæ cœlestis auxilio.

Mille et amplius recensentur, qui in diuturno illo plurium annorum certamine christianam fidem fuso sanguine confirmarunt, sed tamen de omnibus inquiri minime potuit auctoritate apostolica. Etenim sæviente in christifideles tanto furoris æstu, Matrili solum in Hispania, Maniliæ in Insulis Philippinis, et Macai in Sinis inquisitionis tabulæ confectæ sunt. Nihilominus plerique idonei testes de more rogati ea protulerunt, ex quibus martyrii veritas biscentum et quinque heroum liquido constat. In hoc glorioso martyrum agmine plures partim sacerdotes, partim laici spectant ad religiosum Ordinem Fratrum Prædicatorum S. Dominici, interque eos eminent Alphonsus Navarrete, Aloisius Flores, Angelus Orsucci, Franciscus de Morales Alphonsus de Mena, Dominicus Castellet: non paucos suos esse gloriatur religiosus Ordo Fratrum Minorum S. Francisci, quos inter illustriores sunt Petrus ab Assumptione, Petrus de Avila, Riccardus a S. Anna, Apollinaris Franco, Franciscus a S. Maria, Antonius a S. Bonaventura; plerosque ad se pertinere gaudet religiosus Ordo Eremitarum S. Augustini, magisque conspicui inter eos sunt Ferdinandus a S. Josepho, Petrus de Zuniga, Bartholomæus Guttierrez, Vincentius Carvalho; tandem suorum etiam martyrum palmis decorata est Societas Jesu, atque in eis præstant Carolus Spinula, Franciscus Pacheco, Camillus Costanzo, Paulus Navarro, Hieronymus de Angelis et Michael Carvalho. Sequuntur sæculares homines in martyrio socii, Andreas Tocuan, Simon Quiota, et Magdalena ejus uxor, Gaspar Cotenda cum Apollonia ejus matertera, et Magdalena Kyota, qui ortum ducebant ab stirpe Regum

Bungensium, Arimensium, et Firandensium, Antonius Coray, ejusque conjux Maria, Joannes adolescens annorum duodecim, et Petrus trium annorum puer, illorum filii; Lucia Fleites octogenaria, et Dominicus Giorgi cum uxore Elisabetha Fernandez, et Ignatio filio puerulo annorum quatuor ad martyrii locum a lictoribus perducto, de quo puero illud in actis legitur prodigio simile, quod cum immotus, nullumque ejulatum edens revulsum matris caput conspexisset, perinde ac parenti suæ in fidei confessione sociari gestiret, eadem, qua parens, alacritate, circumfusa obstupescente multitudine, cerviculam lictori præcidendam obtulerit. Reliquorum autem martyrum nomina adjectus hisce Litteris catalogus exhibebit.

Post pretiosam in conspectu Domini justorum mortem "quæ, ut idem S. Cyprianus scripsit, emit immortalitatem pretio sanguinis, et accepit coronam de consummatione virtutis," statim cepta sunt exarari acta ad causæ cognitionem necessaria, iisque in Congregatione Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum accurate perpensis, ad preces Hispaniæ Regis, et quatuor Ordinum Religiosorum, quos supra memoravimus, fel. me. Urbanus VIII Præcessor Noster Litteras manu sua signavit, quibus inquisitio committeretur apostolica auctoritate instituenda.

Proinde tum Maniliæ in insulis Philippinis, tum semel atque iterum Macai in Sinis legitimæ inquisitionis confectis tabulis, iisque ad Urbem transmissis, ex concessione Innocentii XI Præcessoris Nostri decimo tertio kal. Aprilis anno millesimo sexcentesimo septuagesimo septimo habita est peculiaris sacrorum Rituum Congregatio in qua statutum fuit, ut primum quæstio poneretur. "An constaret de martyrio ex parte tyranni" eademque agitata quæstio est in alio ejusdem peculiaris Congregationis conventu octavo kal. Februarii

anni millesimi sexcentissimi octogesimi septimi, ac decretum prodiit ab eodem Prædecessore Nostro approbatum "Constare scilicet, de martyrio ex parte tyranni, in casu de quo agitur." Altera exinde quæstio agitata supererat "An constaret de martyrio ex parte passorum." Quæ tamen quæstio ratione temporum, aliisque rerum adjunctis ad hæc usque tempora intermissa mansit. Atque id opportune admodum dixerimus contigisse, scilicet, ut quum ætate hac nostra rei sacræ et publicæ luctuosa a perditis hominibus catholica religio vehementius ac perfidius oppugnetur, tam insigni proposita christianorum heroum de tyranno victoria, novo tanquam gravius argumento religionis sanctissimæ probetur divinitas, deque tantæ virtutis portento jure lætatur ac triumphet Ecclesia.

Deinde ut clementissimus Deus regiones illas respiciens perfusus olim innocuo fidelium sanguine, obseptum tot annos illuc aditum Evangelii præconibus recludat, ad miseras gentes salutari doctrina recreandas. Hæc Nos animo reputantes, ac permoti precibus Ordinum Prædictorum, et Vicariorum apostolicorum regionum Japoniæ finitimarum, concessimus, ut hujusmodi causæ intermissa cognitio rursus institueretur, servataque priori judicii forma peculiarem Congregationem selegimus Cardinalium sacris ritibus præpositorum, quæ causam illam post accuratam disceptationem ad exitum perduceret. Quapropter proposita duplex quæstio fuit "An stante approbatione martyrii ex parte tyranni ita constet de martyrio ex parte passorum, ut procedi possit ad ulteriora." Deinde "An et de quibus miraculis seu signis constet in casu." De utraque hac quæstione diligenter est disputatum, ac tum Cardinales, tum adstantes ex officio Præsules sententiam suam dixerunt; illam tamen confirmare supremo Nostro judicio distulimus, donec Patrem luminum impense precati essemus,

ut in re tanti momenti mentem Nostram lucis suæ radiis illustraret. Tandem feria tertia post Dominicam Sexagesimæ, in qua memoria recolitur cruciatuum, quos pro salute nostra passus est humani generis vindex Christus Dominus, Decretum vulgari jussimus in hac verba: primum "Ita constare de martyrio ex parte passorum, ut in casu, de quo agitur, procedi possit ad Beatificationem:" secundo "Constare de signis quarto, decimo secundo, decimo tertio, decimo quarto."

Illud supererat, ut Cardinales sacris ritibus præpositi de more interrogarentur, num censerent tuto procedi posse ad Venerabiles Dei famulos Beatorum Ordini ad-censendos; qui quum idibus Aprilis currentis anni apud Nos convenissent, de Consultorum etiam suffragio affirmativam sententiam protulerunt. Nos porro priusquam mentem Nostram panderemus, expectare adhuc volumus, ad precandum bonorum omnium auctorem Deum, ut nobis in re gravissima volens propitius adesset; ac denique die sacra S. Catharinæ Senensi Patronæ secundariæ Almæ Urbis, palam ediximus "Tuto procedi posse ad solemnem horum Venerabilium servorum Dei Beatificationem."

Nos igitur ad preces quatuor Ordinum Religiosorum quos supra memoravimus, necnon Vicariorum apostolicorum, qui Christiano gregi advigilant in regionibus Japoniæ finitimis, de consilio Venerabilium Fratrum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium legitimis ritibus præpositorum, auctoritate apostolica per has Litteras facultatem facimus, ut Venerabiles Dei Famuli, Alphonsus Navarrete, Aloisius Flores, Angelus Orsucci Ordinis Prædicatorum; Petrus de Avila, Petrus ab Assumptione, et Riccardus a S. Anna Ordinis Minorum S. Francisci; Petrus de Zuniga, Ferdinandus a S. Josepho, Bartholomæus Guttierrez Ordinis Eremitarum S. Augustini; Carolus Spinula; Franciscus Pacheco Societa-

tis Jesu; Joachimus Firayama seu Diaz, Lucia Fleites, aliique in martyrio socii, tam religiosi Fratres ex memoratis Ordinibus, quam etiam sæculares, Beati nomine in posterum appellentur, eorumque corpora et lipsana, seu reliquiæ, solemnibus supplicationibus exceptis, publicæ fidelium venerationi proponantur. Insuper eadem auctoritate Nostra concedimus, ut de illis recitetur quotannis die indicenda officium et missa de communi plurimorum Martyrum, juxta rubricas Missalis et Breviarii Romani. Ejusdem vero officii recitationem fieri concedimus in domibus ac templis quatuor Religiosorum Ordinum supradictorum ab omnibus christifidelibus tam sæcularibus, quam regularibus, qui horas canonicas recitare teneantur; et quod ad Missas attinet etiam sacerdotibus, qui rem divinam facient in sacris templis, in quibus Beatorum festum celebretur. Denique concedimus, ut anno ab hisce Litteris datis primo solemnia Beatificationis Venerabilium Dei Famulorum in Ecclesiis dictorum Ordinum peragantur cum Officio, et Missis Duplicis Majoris ritus, idque fieri mandamus die ab Ordinariis sacris Præsidibus indicendo, et posteaquam eadem solemnia in Vaticana Nostra Basilica fuerint celebrata. Non obstantibus Constitutionibus Apostolicis, necnon Decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut harum Litterarum exemplis etiam impressis, dummodo manu Secretarii dictæ Congregationis subscripta, et Præfecti sigillo munita sint, eadem prorsus in disceptationibus etiam judicialibus fides habeatur, quæ Nostræ voluntatis significationi, hisce Litteris ostensis, haberetur. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die VII Maii anno MDCCCLXVII, pontificatus nostri anno vigesimoprimo.

N. Card. PARACCIANI CLARELLI.